



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

§. 41. Scriptorum Catholicorum mors & opera.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

Hanoverans Princeps vitam gloriose Sæc. XVII.
 finiit, dum in prælio ad Munderkin- A. C. 1703.
 gam inter hortorum sepimenta fuga
 commiltonum destitutus, Danubii va-
 dum equo pertentans, die vigesima
 prima Julii in medio alveo sclopeti
 globo trajectus periit. Sybilla autem
 Hedwigis Saxo-Lauenburgica Dux ex
 apoplexia defuncta est: naturæ quoque
 fato concessit Romæ Dux de Salviati.

§. XLI.

*Scriptorum Catholicorum decessus
 & opera.*

Pari etiam mortis necessitate vivis e- Niceron
 reпти sunt hoc anno ex Scriptoribus Hist. Erud.
 Catholicis plures, qui ob lucubrati- vol. 5. p. 87.
 onum suarum præstantiam adhucdum
 in grata eruditorum memoria vivunt:
 Hos inter primus est Joannes Baptista
 Thiers, qui typis vulgavit defensionem
 adversus Launoy appendicem ad differ-
 tationem de argumento negantis, dis-
 fertationem de retinenda in libris Ec-
 clesiasticis voce *Paraclitus*, librum de
 festorum dierum imminutione, ubi
 festa abrogandi facultatem Episcopis
 vindicat; hic tamen liber in Judicem
 prohibitorum, *donec corrigatur*, Anno
 1672. die vigesima tertia Martii re-
 jectus est unacum tractatu de supersti-
 tioni-

Sæc. XVII. tionibus. Edidit quoque dissertatio-
A. C. 1703. nem super hac inscriptione: *Deo Ho-*
mini, & B. Francisco, utriusque Crucifixio
hanc inscriptionem Franciscani Rhe-
mensis delere jussi, hanc subrogarunt,
Crucifixio Deo Homini, & S. Francisco,
utramque tamen impugnavit Thiersus.
Exstant quoque ejusdem Authoris libri
sequentes: Dissertatio de Stola in Ar-
chidiaconorum visitationibus gestanda
a Parochis, tractatus de expositione
SS. Sacramenti, Advocatus pauperum,
seu de bono usu bonorum Ecclesiastico-
rum, Dissertatio de atriis Ecclesiarum,
factum contra Capitulum Carnutense,
tractatus de Clausura Monialium, de
spoliis Parochorum, Tractatus de ludis
& recreationibus, dissertationes Ec-
clesiasticæ de Altaribus, Choris &c.
Tractatus de absoluteione ab hæresi, &
de sepulcro S. Firmini, de lacrimis
Vindocinensibus, unacum responsione
ad epistolam P. Mabillonii has lacri-
mas propugnantis, ubi tamen haud
dissimulandum, quod Author ex Phi-
lonis Judæi hisce verbis: *omnis probus*
liber eruere voluerit, quod omnis liber sit
bonus, cum tamen Philo non de libro,
sed libertate loquatur. Tractatus de
summe necessaria, & maxime neglecta
devotione, Crisis in Historiam flagel-
lantium, & vindiciæ disciplinarum
volun

voluntariarum, Tractatus de campanis, Sæc. XVII.
 & Sanctitate oblationum panis & vini A. C. 1703.
 in Missis Defunctorum, & Apologia
 pro Abbate de la Trappe contra San-
 marthanum, qui tamen liber postea
 suppressus est. II. Carolus de Saint
 Evremond scripsit reflexionem in di-
 versas hominum indoles, judicium de
 Cæsare, Alexandro, & Seneca, Plut-
 archo, & Petronio, imaginem perfecti,
 tractatum de propriæ utilitatis studio,
 de pura virtute, & de judicio hominis
 in medio euntis, de veteribus & novis
 spectaculis & tragædiis, responsionem
 ad judicium Eruditorum de Baylii
 Dictionario. III. Carolus Maria Pica
 Jesuita, qui præter alia opuscula pro-
 pugnavit Epistolam B. V. ad Messinen-
 ses. IV. Dorotheus a S. Renato Car-
 melita posteris reliquit Commentarium
 Theologicum, Historicum & morale
 in libros Regum, & in Apocalypsin
 præter expositionem centum sex Psal-
 morum cum multis digressionibus.

§. XLII.

Protestantium scripta & obitus.

Ex Scriptoribus A catholicis hoc anno
 denati sunt sequentes. I. Petrus
 Wernfelsius, qui vulgavit dissertatio-
 nes de judicio incipiente a Domo Dei,
Hist. Eccles. Tom. LXVII. K de